

Hoc compendium videtur libellus famosus contra Societatem genera-
tim scriptus. Notantur enim gravissimi errores Patrum Societatis in
Hollandia laborantibus, nec nominantur personae, nec adducuntur tes-
tes, nec ulla probatio adducitur. V.g. dicunt Patres offerre commu-
nionem hominibus non instructis et bene jentatis: et contra negare
moribundis, si jejuni non sint. Item conjungere in matrimonio homines
in gradibus prohibitis sine ulla facultate; baptizare unica mersione;
docere in peccatis carnis omnia esse mortalia, nullum veniale. Haec
si vera sunt, debuisset D.Sasboldus denunciare Suae Sti tanquam sus-
pectos de fide, eos qui talia agunt; si falsa sunt, graviter peccavit.
Sed de primo habetur responsio in scripto jesuitarum, quod videlicet
dederit unus Patrum Eucharistiam mulieri aegrotae, quae putabat se
non esse jejunam, quia ante mediam noctem aliquid cibi sumpserat.

De tota causa.

Videtur esse unum grave inconveniens in hoc negotio hollandico,
ex quo nascuntur multa particularia. Inconveniens videtur, quod pres-
byteri missi a Vicario Apostolico dicuntur pastores ordinarii, reli-
giosi autem dicuntur presbyteri externi et vagabundi. Videtur autem
non esse verum, quod illi sint pastores ordinarii. Nam ipse in pri-
mis Sasboldus non est pastor ordinarius, id est episcopus Hollando-
rum, sed Philippensium, sed est pastor delegatus, ut Vicarius Apos-
tolicus: et quamvis Vicarius Apostolicus possit constituere pasto-
res ordinarios, id est parochos, tamen illi, quos hactenus constituit,
non videntur parochi sive pastores ordinarii, quia non habent populum
sibi assignatum distinctum ab aliis: sed omnes a D.Philippensi missi,
discurrunt per totam regionem, et ubique volunt haberi pastores ordi-
narii; unde fit, ut saepe in uno loco sint multi pastores ordinarii,
in alio nulli. Hoc autem non est esse pastorem ordinarium, sed esse
delegatos in solidum pro tota provincia cum auctoritate pastoris or-
dinarii. Et hoc modo etiam religiosi, missi auctoritate Summi Ponti-

ficis cum amplissimis privilegiis diu possunt pastores ordinarii, id est, delegati cum potestate ordinaria.

Hinc ergo nascitur omne dissidium: quia missi a Sasboldo volunt ubique omnes haberi ordinarii, et ut nemo praeter ipsos possit concionari, baptizare, etc. Contra autem religiosi non possunt ferre, ut ubique debeant impediri ab ordinariis, ne fungantur munere, ad quod missi sunt, ac praesertim in provincia haeretica, ubi pastores ordinarii delitescunt in privatis domibus, nec facile conveniri possunt. Itaque necesse est, ut vel religiosi recedant ex Hollandia et unitis regionibus; vel eximantur omnino a potestate Sasboldi. Nam praeter ea quae dicta sunt, Religiosus Dominicanus anno superiori venit Romanam ex illis partibus, aperte dixit, religiosos pati maiorem persecutionem a Sasboldianis, quam ab haeticis. Praeterea in Anglia, Scotia, Hibernia, religiosi liberi sunt ab Ordinariis, quia id requirit locus et tempus; cur non in Hollandia? At capitula confirmata sunt inter Archiepiscopum et religiosos. Verum est; sed cum experientia doceat, Sasboldianos illis abuti contra bonum plebis ad opprimendos religiosos, tollenda videntur.

Fondo German., Epist. V. C. Bellarm., brouillon autogr.